

[Τῆς paidatrophias analysin theōrētikēn kai praktikēn], dissertatione  
inaugurali ... / sistit T. Zwingerus.

### **Contributors**

Zwinger, Theodor, 1658-1724.

### **Publication/Creation**

Basle : J. Bertsch, 1680.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/b3ktjk2u>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DEO DVCE ATQVE AVSPICE!

T H S

2

# ΠΙΑΙΔΑΤΡΟΦΙΑC

Ανάλυσιν

Θεωρητικὴν καὶ Πρακτικὴν,

*DISSERTATIONE IN AVGVRALI,  
Ex Decreto & Auctoritate  
Ordinis*


Medicorum Basiliensium Gratiissimi,  
*pro*

Summis in Arte Medicâ Honoribus ac  
Privilegiis DOCTORALIBUS legitimè  
obtinendis,

publicæ Eruditorum censuræ sistit

M. THEODORVS ZVINGERVS  
Basiensis.

*Ad diem 8. Octobr. Anno M. D. C. LXXX.  
Loco horisque consuetis.*



BASILEAE,

Typis JACOBI BERTSCHI.

TRIGÆ MEDICORUM ABSOLVTISSIMÆ,  
Nominis celebritate, Beneficiorum amplitudine,  
Humanitatis illecebris, sibi felicissimè  
conciliatæ , devinctæ,

VIRIS

*Nobilissimis, Amplissimis, Excellentissimis, Experientiss.*

DN. JOHAN. JACOBO WEPFERO, M.D.  
variorum Principum, Comitum, Dynastarum, Reipublicæ  
quin & Scaphusianæ Archiatro, uti felicissimo, ita longè  
lateque famigeratissimo:

DN. CHRISTOPHORO HARDERO, M.D.  
eiusdemque Civitatis Poliatro dignissimo, Hospiti non ita  
pridem humanissimo:

DN. HENRICO SCRETÆ à Zavorziz  
& Schotnau, M.D. Pract.apud Scaphusianos itidem felicissi-  
mo, profundâ artis Spagiricæ notitiâ inclyto, Præceptorî  
suo exoptatissimo :

*Mecænatibus longè maximis, submissâ Thesum  
Inauguralium consecratione, non sine pio venerationis  
cultu, & votorum, quæ publica privataq; salus nun-  
cupare jubet, sanctimoniam l. m. q. assurgit*

A V C T O R.



## Oὐρῶ κ' Εἰρεσίη.

### THESIS I.

§.1. Παιδατέοφία composita vox est ex nomine παιδός, puellum atque puellam significante, & voce ἀτέοφία, quæ rursus ex αἴτηπικῷ & vocabulo τέοφη, à τέέφω nutrio, alo, composita tabem seu abolitam nutritionem indigitat. Hujus Etymologiæ ratione igitur Παιδατέοφία aliud nihil erit, quam Puerorum Tabes.

§.2. Αἴτεοφία autem vox saepius ad Hecticorum, Phthisicorum, Scorbuticorum, hæreditariâ Lue Venereâ infectorum, vel aliis quoque diuturnioribus morbis afflictorum infantum Tabem extenditur: Verum in præsentia rerum, ob temporis, quod ad prolixiorem illam materiam excutiendam amplius omnino requireretur, penuriam, de eâ solùm, quam Mesenterii obstrunctiones plerunque producunt, τῶν παιδῶν ἀτέοφίᾳ agere constituimus.

### THESIS II.

§.1. Definimus autem Παιδατέοφίαν seu Tabem puerorum, Morbum magnitudinis imminutæ, cum privatione pinguedinis & carnis, partiumq; in toto corpore exiccatione, ortum à calore consumente & defectu nutrimenti partibus adponendi, propter obstrunctiones mesenterii.

§.2. Definitio hæc præter genus, quod Morbum imminutæ magnitudinis esse dicimus, differentiam quoque complectitur tum à parte primariò affecta, tum à causis petitam.

§.3. Partes primariò affectæ sunt partes totius corporis molliores, Pinguedo, Caro & quæ inter reliquas existunt molliores. Pinguedo quidem ob laxiorem texturam primò

omnium colliquescit, post Caro reliquis mollier sensim consumitur; tandem quae inter reliquias existunt laxiores, sed tenaces adhuc & solitu difficiles, humiditate paulatim absumpta, exiccantur.

§.4. Caro autem cum pro diversitate partium triplex hactenus statuatur, Musculorum, Viscerum & Glandularum, dispiciendum, quanam illarum consumptioni magis obnoxia? Musculorum quidem carnem in toto corpore desperdi, sensibus obvium est: Glandularum, quae in mammis & hinc inde in corpore latitant carnem extenuari hactenus, quoad scimus, negavit nemo: Viscerum autem parenchymata (ita ipsorum Caro appellari consuevit) tantum abest, ut consumantur, ut potius infantum macie extinctorum sectiones illa saepius adaucta demonstrarint. Ita Glissonius Tractatu de Rachitide cap. 2. Hepar in omnibus, quos Rachitide sublatos aperuit, iusto majus se invenisse asseverat.

§.5. Additur in definitione, *in toto corpore*, ut in limite statim pateat, de Universali, non de Particulari unius tantum membra Atrophiâ nobis negotium esse.

### THESIS III.

§.1. Causae, quorum in definitione facta mentio, sunt Proxima & Antecedens, quibus & reliqua deinceps subjungenda erunt. Proximam causam cum Mercuriali credimus esse tum calorem partium substantiam dissolventem & consumentem, tum nutrimenti partibus adponendi defectum, prout scilicet Apathia nunc ut morbus, nunc ut symptoma consideratur: si enim consideretur ut morbus, immediata causa dicetur calor consumens; si ut symptoma, proximam faciet causam nutrimenti illius defectus. Haec vero ut eo melius innotescant, Nutritionis historiam subnectendam arbitramur.

§.2. Nutritio restauratio est illius, quod in corpore est absumptum. In actione calidi insiti atque influentis in humidum partium primigenium particulæ semper aliquæ consumuntur, colliquescunt, & vinculo solutæ in auras evolant, hinc Natura, sui conservationis studiosa, alias atque alias absumptarum in locum reponit particulas, easque partium substantiae

stantiæ unit & assimilat : atque hoc Naturæ, Facultatis' ve  
Nutritivæ opus Nutritio hactenus appellata est.

§.3. Materiam, ex qua partium nutrimentum depro-  
mitur, nec succum nervosum cum Anglis, nec venosum san-  
guinem cum Veteribus, nec serum sanguinis glutinosum cum  
hodiernis nonnullis ; sed ipsissimum sanguinem arteriosum,  
quem *Hippocrates de corde*, τροφὴν ἡγεμονικὴν, alimentum principale  
nuncupat, esse credimus, ita per circulationes continuatas  
præparatum & fermentatum, ut ex eo quælibet pars corpo-  
ris sibi proportionatas particulas pro sui nutrimento depro-  
mere possit.

§.4. Nutritionis modum verò exponere ardui res est  
laboris : hinc plures plurim natae opiniones. Veteres per  
Facultates suas negotii istius methodum explicare satege-  
runt, atque *Attracticem* dixerunt alimentum è massâ sanguineâ attrahere ; *Retentricem* retinere ; *Concoctrinem* in humores il-  
los decantatos Insitum, Rorem, Gluten & Cambium coque-  
re atque præparare, tandemque *Secretricem* inutile excremen-  
tum ab utili nutrimento secernere. Facultatum huncce nu-  
merum qui non admittunt, neque ullam in corpore tractio-  
nem adgnoscunt, Medici hodierni, nostro quidem judicio  
Nutritionis modum longè accuratiūs per meram nutrimenti  
appositionem explicant & demonstrant. Ex sententia au-  
tem horum sanguis arteriosus, in quo materia nutrimenti  
continetur, pulsūs ope ad partes omnes distribuitur, ibi ab  
accedente è nervis spiritu animali de novo fermentatur, com-  
minuitur & ad nutritionem idoneus redditur : in ipsâ hâc  
fermentatione postmodum, quæ particulæ aptitudinem ad  
nutriendum obtinuerunt, in poros partium sibi ob figurarum  
convenientiam proportionatos vel præcipitantur, vel novi  
sanguinis appulsi imprimuntur, inibi que variè inter se com-  
plicantur, donec substantiæ partium coadunatae & assi mila-  
tæ sint : quæ insuper ad nutriendum ineptæ relinquuntur,  
vel in glandulas subcutaneas, hincque Lymphaticorum vasof-  
rum oscula, ubi horum diametro suis respondeant figuris, im-  
pelluntur, vel in venarum extremitates sibi proportionatas  
coguntur ; quæ denique subtile nimis sunt aut crassiores,

quām ut vel partibus assimilari, vel in glandulas atque vasa resorberi queant, per αὐθιλον θεμονήν in auras abeunt partim, partim in sordes faceant.

§. 5. Sed & hoc circa hanc Nutritionis methodum notandum, ab ista, quae in partibus contingit, nutrimenti fermentatione aliquas quoque partium portiones, quorum scilicet textura pro tempore laxior existit, colliquescere, inque auras expelli. Hæc enim propriè est illa partium absumptio, quam Veteres calori sive nativo, sive influenti adscripserunt, & ob quam necesse est, alias continuò in absumptarum spaciola reponi particulas, si quidem Nutritio rectè riteque fieri debeat.

§. 6. Verùm non sufficit forsitan, quæ hactenus de Nutritione sunt dicta, tantum nosse, nisi simul sciatur, qualibus sanguinis particulis quælibet pars nutriatur. Per particulatum nutritiarum & partium nutritarum certas ac determinatas figuras rem hanc explicare difficillimum, si non planè impossibile, neque enim, quantum novimus, ulla hactenus ἐγχειροτικού figurarum in particulis nutritiis diversitates & distinctiones accuratè hactenus demonstrare potuit. Chymico igitur, quippe magis sensato, modo illud ipsum exposuisse mihi pro tempore, donec subtiliora vel meliora edocetus, sufficiet. Clariss. Willis elementa seu principia, ex quibus massa sanguinea tota componitur, per chymicas destillationes egregiè ob oculos posuit in aureo, quem de Fermentatione & Febribus lucubravit tractatu: Insunt, inquit, cap. I. de Febr. sanguini, veluti liquoribus quibuscunq; ad fermentescendum aptis, plurimum aquæ & spiritus, modicum salis & sulfuris & iliquantulum terræ: Ex chymicâ partium nutritarum destillatione pariter constabit, alias illarum ex sulfureis, alias ex spirituosis, alias ex salinis, alias ex Aqueis, alias denique ex terrestribus magis particulis conflatas esse. Hinc concludere facillimum, quemlibet partem, prout ex hisce magis vel illis constat massæ sanguineæ particulis, easdem etiam è magis pro sui nutritione desiderare. Hinc Clariss. D.D. Harderus Professor noster Rhetorices in Prodromo suo Physiologico pag. 58. partes sanguinis spirituosas cerebro, sulfureas carni, parenchymatis & pinguedini, salinas

*nas autem fixiores & terrestres ossibus nutrientis praecipue destinari credit.*

§. 7. Ex hisce ergo omnibus, cum jam satis superque constet, totum nutritionis opus fieri per nutrimentum in partium a calore naturali absumptarum loca repositionem, nemo, quod opinamur, negabit amplius, proximam α' τεοφλας puerorum causam esse tum calorem consumentem, tum nutrimenti partibus adponendi defectum. Rectâ propin viâ ad ea, quæ defectum ejusmodi producunt, causas sc. Antecedentes & Procatarticas progredimur.

#### THESES IV.

§. 1. *Antecedentes causas distinguimus in Propriorem & Remotiores. Propriorem in definitione diximus esse Mesenterii obstructiones, quo nomine non praeceps intelligendam volumus strictè sic dictam ἐμφραξιν, ab humore aliquo meatûs infarciente ortam, sed laxiore significatione quamvis vasorum mesaraicorum sive a viscidis humoribus, sive a compressione, sive aliâ quâcunque ratione factam angustiam, imò quoque eorundem, ob humoris, qui transire debet, defectum, συνίζησιν sive subsidentiam.*

§. 2. Ejusmodi autem angustia tum in chyliferis, tum in lymphicis vasculis, tum & in glandulis mesenterii existit. Forsan & Pancreatis atque choliodochorum ductuum, fermentum quippe pro chyli secretione & translatione exhibentium, obstructions ad succi nutritii defectum aliquid conferunt. Imò & glandularum intestinalium pertinaces constipationes paulatim affectui huic ansam præbere posse verisimile est, dum ob Lymphæ ex illis secundum Naturam exudantis defectum fæces alvinæ a chylo haud satis sequstrantur.

§. 3. *Remotiores antecedentes causæ illæ sunt omnes, a quibus obstructions ejusmodi originem trahunt; Sic quæ in Lymphicis vasculis, Pancreate, Mesenterii & Intestinorum glandulis existit ἐμφραξις, plerunque a Lympha viscosa & glutinosa producitur, quæ lentore suo lateribus vasorum vel glandularum poris adhærescit, sicque sensim collecta suos ductus infarcit. Glandulæ intestinalrum autem saepe non vitio Lymphæ, sed externâ quadam injuriâ ob-*

*struun-*

struuntur, quando grumosus & glutinosus succus à chyli-  
ficatione vitiata in intestinis collectus plexibus glandulosis  
obducitur, adeò ut Lymphatico liquori per ostiola glan-  
dularum nullus pateat exitus.

§.4. Pariter & Hepatis vel ductuum cholidochorum  
 $\xi\mu\phi\rho\alpha\xi\pi$  non nisi viscida vel Lympha vel bilis, aut grumus  
aliquis tenax osculo ductus cholidochi in duodenum hian-  
ti obhaerescens producit.

§.5. Visciditas autem illa Lymphæ aut Bilis ex massâ  
sanguineâ, ejusque, ob imperfectam fermentationem vitio-  
sa  $\Delta\lambda\theta\epsilon\sigma\delta$  derivanda: Quemadmodum enim, si  $\alpha\mu\omega\tau\omega\sigma\iota$   
seu sanguinis fermentatio rite à particulis massæ activis pe-  
ragitur, si chylus cum Lympha accedens benè subigitur &  
assimilatur, si utile alimentum ab inutilium particularum  
consortio studiosè liberatur, sanguinis  $\nu\beta\alpha\sigma\iota$  justa est, nu-  
tritioque perfecta fit; ita contrà, ubi eadem Sanguificatio  
vitium contraxit aliquod, sanguinis quoque  $\Delta\lambda\theta\epsilon\sigma\delta$  vitie-  
tur, ac nutritio vel aboleatur, imminuatur, vel depravetur,  
necessè est.

§.6. Imperfecta illa  $\alpha\mu\omega\tau\omega\sigma\iota$  originem ferè trahit ab  
humoribus lentis & tenacibus, acido viscidis sanguinis massæ  
commixtis, illis enim particulæ sanguinis activæ adeò de-  
primuntur & obvolvuntur, ut chylum accendentem minùs  
rite fermentare, comminuere & assimilare, adeoque nec in  
perfectum partium alimentum præparare valeant: Hinc aci-  
do-viscidi plus minus in sanguine cumulantur succi, qui  
tandem ex habitu corporis Lymphæ latici quoque majori  
in copia communicantur.

§.7. Vasorum Chyliferorum obstructiones proximè  
à chyli consistentia glutinosiore & crassiore, remotius verò  
à Ventriculi læsa coctione dependent; Quod si enim cibi  
in stomacho vel ob vitium proprium, vel ob fermenti sto-  
machici è glandulis ventriculi secundùm Naturam exudan-  
tis defectum (qui à glandularum ipsarum infarctu ferè est)  
vel ob ejusdem fermenti, utpote in infantibus leviter ad-  
huc exaltati, minorem activitatem, imperfectè & in cras-  
sos, viscidos, atque acidos sucesos coquantur, itaque parati  
ad

ad intestina descendant, facili negotio inibi acidum, quod in chylo ob coctionem minus justam dominium obtinuit, assurget, exaltabitur, caseofasque partes in grumos præcipitabit, qui postea, ubi à motu intestinali peristaltico in vasa lactea adiguntur, facile vel oscula eorum in intestine hiantia, vel medios ipsorum in mesenterium tendentium ductus infarctu ita coangustabunt, ut nullus in posterum vel levis tantum chylo etiam laudabili in ductum thoracicum transitus supersit. Infarctus iste è magis augebitur, ubi in Mesenterio Lympha justo acidior chylo huic crasso & caseoso obviam veniat, hinc enim glutinosi humoris præcipitatio è major fiet.

§.8. Συνίγησις seu Subsidentia vasorum lacteorum sæpius quoque ατρεοφίας existit causa, quando scilicet chylus aliâs satis laudabilis aliorum trahitur; fit hoc à Vermibus intestinali pueris familiaribus, qui chylum tantum non omnem exugunt & absorbent, sicque sensim extenuationem ac maciem inducunt. Origo horum animalculorum, adnotante Ettmüller in Valetudinario Infantili, ferè debetur seminibus verminosis cum cibis commixtis, quæ, ubi à fermento ventriculi subigi planè & deprimi haud possunt, intestinali muco postmodum obhærent, blandoque loci tempore spirituascunt & vivificantur.

### THESIS V.

§.1. Externe atque Procatarractice causæ tum Antecedentibus in corpore ansam præbent, tum Ατρεοφίαν jam confirmatam promovent. Inter ea, quæ ansam antecedentibus dant, referimus ante omnia victus perversam rationem, quæ in Lactentibus & Ablactatis notari solet. Lactentium victus, qui usu nostratis communis venit, est tum lac Matris vel Nutricis, tum pulmentorum farinaceorum esca: In utroque alimenti genere peccari solet.

§.2. In Lacte quidem & Qualitas, & exhibitionis Quantitas observanda. Qualitate vitiosum sæpe est lac, quando glutinosum atque acidum, vel crassum & caseosum, vel fluidum & serosum nimis existit: Hujus vitii causam non nisi ex inordinata nutricis diætâ (nisi illud naturale sit,

& temperiei comes) quæsiverimus; constat enim experientiâ, & potum cibosque lacti generando incongruos, & via excretorum ac retentorum, motus ac quietis; & præprimis animi passiones vehementiores *γαλακτοπόνας* insigniter turbare. Sæpe in lacte nullum est vitium, quia tamen alienum est, non Matris propriæ, hinc in tenellorum stomachis materno succo magis assuetis malè coquitur ac digeritur, ut adeò melius & salutarius sit Matris propriæ, etiam si non per omnia sanum, quām nutricis, nullâ etiam labore infectum lac præbere; valet enim heic quoque illud Hippocratis: *Consueta longo tempore et si deteriora sint, insuetis tamen minus molesta esse solent.*

§.3. In quantitate qui committitur Lactis error, partim est, monente Ettmüllerо dissert. supr. citatâ illius superflua exhibitio, & tantum non coacta infusio, quā matres, dum lactant, mactant: ad quemvis infantis ejulatum papillas ori intrudunt, priori licet propinato lacte crudo adhuc subacido, nec dum concocto, in stomacho hærente, unde novi superingesti necessaria congruescientia, caseatio, ac utriusq; in pastam acidam atq; viscidam corruptio succedit: Partim quoque est illius defectus, ob quem lactentes sæpe nullâ aliâ manifestâ causâ sensim emaciantur; defectum ejusmodi ubi persentiantur infantes, saepius irati mammis se subducunt, et si avidè etiam illas arripiant, frequenter ejulant fitientes. Quibus planè nullū præbetur lac, feliciter adolescere vix observantur.

§.4. In pulmentis duo occurunt examinanda, unum Materia est ipsorum, Usus alterum: Materia ipsorum farina est atque Lac, imò & hujus loco sæpe aqua; ex quibus, sine fermentatione, simplici tantum coctione pasta conficitur, quā tenellos quotidie ad nauseam usque saginant. Jam verò cuilibet, si non propriâ, saltē aliorum experientiâ constat, à pane vel leviter, vel nihil planè fermentato, ventriculum etiam robustissimum gravari insigniter, coctionem turbari, ac cruditates colligi acidas: Hoc cùm contingat robustis hominibus, quis mirabitur amplius, & pulmenta istiusmodi in tenellorum stomachis longè debilioribus saepius corrumpti, ac in pastam glutinosam atque acidam verti.

§.5. In Usu atque exhibitione ejusmodi lacticinii saepissime

simè quoque peccari solet: Ingeritur immodicè, & intempestivè: *immodicè*, quando stomachus tenellorum adeò oppletur, ut os inter & ventriculū spaciū vix ullum relinquatur: haud raro præter infantum voluntatem, præter stomachi appetitum vi quasi pasta illa glutinosa intruditur, ita ut tantum non suffocationis immineat periculum: adeò firmiter plerarumque muliercularum mentibus ea hæret superstitione, nutriri non posse infantes, minùs augeri, nisi ventrem pulmentis ejusmodi continuò plenum habeant: *intempestivè* ingeritur, quando priori alimento nondum digesto & concocto intruditur, hinc enim fieri aliter nequit, quām ut novum pulmentum à fermento activitati pristinæ nondum restituto in massam glutinosam & subacidam vertatur.

§.6. In ablactatis & grandioribus pueris haud absimilata ratione se res habet; ciborum saltem occurrit varietas, eorumque & in qualitate & in quantitate vitia obstructionibus occasiones præbent: in *qualitate* in primis æstate peccatur; quando fructibus crudis, immaturis, corruptuque facilibus pueri se saginant, quando aliis quoque cibis δυστέπτοις inhibitant: Recens ablactatis saepe cibi solidiores difficilimæque concoctu offeruntur statim; aut iidem saccharatis, quæ sc. ex saccharo, atque farinâ concinnantur, saginantur; Ex quibus omnibus, necesse est, coctio in ventriculo insigniter lædatur: In *quantitate* ciborum quoque delinquitur, eaque tam excedente, quām deficiente; *excedente* quidem, quando non tantum δύστεπτοι & pejoris nutrimenti, sed & δύστεπται, multique ac laudabilis succi immodicè præbentur; *deficiente* verò, quando copia ciborum ad perfectam nutritionem & auctorionem debita & necessaria vel non suppetit ob miserandam paupertatem; vel denegatur ob Parentum detestandam avaritiam; hinc est, cur liberi ejusmodi inediâ confiantur, fame nonnunquam enecentur, saepius quoque ob cibum deteriorem oblatum, cacheftici evadant.

§.7. *Potus* ablactatorum cruda plerunque solet esse aqua; hanc adeo confertim saepius ingurgitant, ut non possit non inde calor stomachi p. n. minui, fermentumque ejus obrui insigniter, inque glandulas præcipitari.

§.8. Præter hactenus recensitas externas causas & aliæ quoque veniunt examinandæ, lactentibus pariter & ablatatis inimicæ. Aëris inclemencia pueris seminudis humidâ præsertim vel frigidâ tempestate admodum noxia, coctionique ventriculi inimica: in adultis vel levissima aëris calidâ in frigidum mutatio, præprimis quæ subitò fit, fermentationes in humano corpore turbat, tormina, diarrhœasque excitat, & cruditates parit, cur & idem in tenellorum corpusculis contingere non posset?

§.9. *Animi pathemata* prout in adultorum, ita multò magis in puerorum corporibus magnorū alterationum auctores esse solent. *Ira* quidem nimiā si pueri excandescant, bilis impetuosius concitata & effervescentis in ventriculum irruit, coctionem illius planè evertit, cibos corruptit & in acido-acres, viscosos, glutinososque convertit succos; quin imò & ob spirituum, in irâ vehementiore avocationem, ac in habitum corporis effusionem fermentum stomachicum hebet scit, ritè non amplius attollitur, & exaltatur, unde ex cibis semicoctis, dum salia illorum resoluta subigi planè nequeunt, fermentatione ulteriore, non nisi acidi, glutinosi, tenaces & facilimè infarcientes humores ad intestina amendantur. Quod *Ira* facit, id & *Terror* eodem fermè modo spiritus scilicet à ventriculo ad centrum corporis trahendo & revocando, facere potest.

§.10. *Somnus* justò largior, vel statim à pastu concessus coctionem impedire facile novit. Pariter & *Excretorum* atque *Retentorum* vitia multum quoque faciunt ad coctionem turbandam: recens natorum intestina excrementis, quæ Hippocrati lib. de vict. ratione in acutis, τε μηνιωνις appellatione venuunt, scatent; hæc, nisi expurgentur, pertinaces alvi obstruções pariunt, & chyli distributionem impediunt: pariter & in grandioribus alvi fœces retentæ eundem prorsus effectum producere possunt.

§.11. Heic sicco pede non prætereundum, quod *Eudovicus Mercatus* in tract. de *Puerorum morbis* adnotavit, fœmelias sc. quas matres, sic loquitur Terentius in *Eunicho*, jubent esse demissis humeris, vincög pectorc, ut graciles sient, atq; junceæ evadane

dant, ad obstrunctiones mesenterii longè procliviores esse pueris, non saltem quia frigidiores & debiliores, sed & quia abdomina ipsarum fortiter stringi solent; credibile enim est, fortiore ejusmodi constrictione mesentericos ductus ita coangustari, ut levi dein occasione planè obstruantur.

§. 12. Quæ Atrophiam jam confirmatam promovent & augent, præcipuè sunt aëris constitutio calida & sicca, vigiliæque immodicæ. Illa quid valeat, Æthiopes nōrunt, quorum corpora tantùm non emaciata videntur; observamus etiam æstivi solis calore corpora nostra gracilescere multùm. Vigiliæ nimiaæ id ipsum quoque faciunt, imò verò quām citissimè, præsertim si calor febrilis hæticus superaccedat, habitum solvunt, in illis enim cùm Spiritus animales particulis acrioribus salinis procul dubio imprægnati, adeóque ad quietem inepti sint, hincque continuo influxu in habitum corporis incurvant, necessariò partium substantiam colliquando & assiduè consumendo maciem augent.

#### THESIS VI.

§. 1. Explicatis hæc tenus causis, proximum est, ut jam quoque subnectamus ἀιτιολογίαν symptomatum, quæ Παιδαρεοφίαν vel sequuntur, vel cum illâ combinantur. Occurrunt autem ea in toto fermè corpore omnibusque partibus, & quidem in capite observare contingit affectus tum externos, tum internos; inter externos est plerunque Hippocratica facies, nonnunquam & tumidum caput.

§. 2. Facies Hippocratea, ab Hippocrate scil. descripta, talis est; Nasus existit acutus, Tempora collapsa, oculi cavi ac si in foveis quibusdam essent reconditi, palpebrae aridæ, ut vix attolli queant, aures frigidæ & contractæ, cutis circa frontem dura & sicca, color faciei pallidus, lividus & plumbeus, malæ exertæ & prominentes. Omnia hæc aliquando, pleraque sæpius, singula nunc magis nunc minus deformia in extenuatis occurunt: continguntque non nisi, dum caro, pinguedo, humidaque nervosarum partium substantia soluta atque consumpta est, id quod verè fit à calore sive naturali sive p.n. consumente; particulæ enim massæ sanguinæ activæ, dum ob chylosi succi appellentis penuriam

exaltatæ magis existunt, nihilque vel parum admodum, quod in nutrimentum partium convertant, offendunt, cum Spiritibus animalibus sibi obviam factis concurrentes ipsam partium substantiam invadunt, earum structuram solvunt, & colliquant, majoremque prorsus copiam particularum expellunt, quam reddere & restituere ex se possunt; longè enim numerosior partium absumptarum cumulus esse solet, quam particularum nutritiarum, hinc quò minus harum quantitas illarum quantitati respondet, eò quoque celerior & major observabitur atrophia, & vicissim, quò magis eadem copiâ suâ absumptarum partium numero respondent, eò minor & tardior Tabes continget.

§. 3. Tumidum aliquando p. n. solet esse caput, imò & interdum in Hydrocephalum excrescit, quando scilicet serosus, crudusque humor, qui à sanguinis particulis salinis, sulphureis & spirituosis ceu activis assimilari non potuit, subter cutem capitis majori longè copiâ colligitur & è vasculis arteriosis effunditur, quam à venulis, vasisque lymphaticis resorberi potest. Provenit ille serosus humor ex primis viis; cum enim propter obstructiones & infarctus lacteorum vaorum crassior chyli portio penetrare haud potest, serosior saltem minusque glutinosa pars permeat; hæc verò ubi confertim in massam sanguineam irruit, illius fermentaceas partes ita obruit, & deprimit, ut ab iisdem probè fermentari & in sanguinem laudabilem converti haud possit. Hinc non tantùm in capite Hydrops, sed & in toto corpore Cachexia aut Leucophlegmatia, præprimis verò in cruribus oriri solet. Sæpius ob liquidiorem victum, serosorum humorum cumulus in ventriculo intestinisque collectus ansam isti sanguinis hydropicæ *Διαθέσει* præbet.

§. 4. Interni capitatis affectus, qui extenuatis pueris interdum obtingunt, vel sensuum sunt, vel motûs vel utriusq; Sensuum affectibus adnumeramus Vigilias nimias, Somnum diuturniorem vel somnolentiam, Stuporem partium. Vigiliae nimiae vel à torminibus, vel à Spirituum animalium acrimoniâ p. n. vel à flatibus hypochondriorum diaphragma distendentibus, hincq; respirationem impedientibus originem trahunt.

trahunt. *Somnus diuturnus*, & somnolentia à viscidâ pituitâ, narcoticisque particulis spiritibus animalibus commixtis, eosq; continuò ferè ligantibus, & fagentibus. *Stupor* verò partium à Spirituum animalium denegato influxu dependet: brevis hic esse solet, nisi vel agonizet æger, vel paralysis, quæ tamen rara admodum, subsequatur. *Sensus* & alii multum imminuuntur aliquando, sed vix, nisi in extremis jam versetur æger.

§. 5. In motu qui notatur affectus, languor est corporis totius, qui non secus ac paralysis à Spirituum paupertate, à quâ & crurum laxitas, originem dicit. Pauperiem a. illam inducit succi nutritii ex primis viis allabentis inopia.

§. 6. Quæ motum simul & sensum lœdunt affectiones, *Convulsio* sunt, atque *Epilepsia*, quas fato ut plurimum tristri puelli Atrophiâ laborantes experiuntur. Has verisimile est, in infantibus ab humoribus acido-acribus nervisque valde inimicis produci, quæ enim acidum ejusmodi in corpore destruunt, omnium optimè affectibus hisce medentur.

§. 7. In *Medio Ventre*, *Tussis*, *Dyspnoea*, & *Animi deliquia* occurunt, quibus puelli sæpius quoque excruciantur. *Tussim* quidem nunc sympatheticam, nunc idiopathicam experiuntur. *Sympathica* vitio ventriculi plerunque oritur, quando cruditates acidæ vel salso-acidæ halitibus forsan acribus orificio superius & circumjacens diaphragma ejusque musculos respirationi inservientes irritant & vellicant adeò sæpe, ut tusses exinde obortæ non priùs cessent, quām cruditates omnes è ventriculo ejestæ sint: *Idiopathica* verò fit plerunque affecto pulmone, quando vel *Lympha* tenacior & crassior in lymphaticis pulmonum stagnat, aut iis ruptis in vesiculos eorum effunditur, moleque sensim collecta, ac in tuberculæ indurata premit & ad excretionem stimulat; vel quando acrior *lympha* ad laryngem ejusque propagines effunditur, ita enim illæ vellicatæ tussim movebunt, præcipue sicciam.

§. 8. *Dyspnœæ* causam vel in pulmonibus, vel in Thoracis muscularis hærere credimus: In pulmonibus quidem, si iidem scirrhosi ob vesiculos à materiâ argillaceâ distentas existant,

stant, aut si colluvies serosa ad bronchia deponatur, ductusque illorum atque anfractus comprimat: in *Musculis Thoracis* causa hæret, quando iidem consampti, vel extenuati, vel spiritum justâ copiâ destituti vires ad thoracem rite dilatandum non amplius obtinent.

§. 9. *Deliquii animi causa est sanguinis in corde rarefactio imminuta*, quam varia omnino in corpore producunt tenellorum, sudores nimii, evacuationes immodicæ quæcunque, & alia nonnulla, quæ recensere heic nil attinet, cum symptomata hoc plerunque in syncopen degeneret, mortemque post ipsam inferat. Vide sis, Clariss. *Sylvium lib. I. prax. medic. cap. 34.*

§. 10. In *Ventre infimo* notatur plerunque Abdomen collapsum, cum extuberantiis hinc inde durioribus digitorum admotione facile perceptilibus, quæ originem trahunt tum à muscularum pinguedinisque in abdomen consumptione, tum à glandularum mesenterii scirrhosâ duritie. Sæpe tamen abdomen tumidum atque tensum tum à viscerum mole auctâ, tum à flatuum proventu contingit.

§. 11. *Aνορεξία*, seu appetitus dejectus frequenter evenit, quando fermenti stomachici activitas vel à viscidis, lentis & tenacibus humoribus, quorum causa nimia ciborum ingestio plerunque esse solet, obruitur, obtunditur; vel à particulis sulfureo-salinis biliosis sub halituum formâ ex intestinis ascendentibus evertitur, ut pro appetitu *Nausea*, pro fame *Vomitus* postea haud raro contingat.

§. 12. *Crasis enim fermenti digestivi*, ubi hasce ob causas vitiatur, coctionem quoque debilitari necesse est; hinc particulæ acido-acres, quæ subigi deberent, plus justo exaltatae relinquuntur, sicque postmodum, si fibris nervosis tunicae interioris impelluntur, illas ceu objecta improportionata irritant, vellicant, & ad contractionem stimulant, indeque *Vomitum* producunt.

§. 13. *Lienteriam in Παιδιατροφίᾳ* nonnulli quoque observarunt, quam probabile est, ortum sumere tum à fermenti stomachici defectu, quando glandulæ ventriculi, ceu fontes dicti fermenti, à sero nimis viscido infaciuntur & obstruunt;

tur; tum & à pylori, ob humiditatem nimiam vel quamcunque aliam causam, laxitate: hinc enim immutati omnino cibi ad intestina delabuntur, tandemque motu intestinorum peristaltico continuò promoti, eà prorsus, quâ assumpti sunt, facie excernuntur.

§. 14. *Cœliaca passio* frequens Παιδιατροφίας comes originem suum debet vel osculis chyliferorum vasorum lentore obductis, vel ductibus choliodochis obstructis, vel glandulis intestinalibus viscido muco oblinitis; hinc enim est, quod fæces alvi chylosæ prorsus existant.

§. 15. *Diarrhœa* vires tenellorum adeò sæpe atterit, ut vel exinde planè moriantur, vel saltem semimortui aliquandiu postea subsistant. Oritur autem illa, vel quoties crudi humores in intestinorum tractibus stagnantes copiâ aut acrimoniâ quadam ad excretionem stimulant, atque hoc pacto producuntur interdum critici & salutares alvi fluxus, qualem Tigruri in semestri puello ferè jam emaciato observare mihi contigit; laborabat enim ille per menses jam aliquot Atrophiâ, quæ aucta tamdiu, donec superveniente ostenduanâ diarrhœâ, ex qua vires vel parum, vel nihil atterebantur, lactea mesenterii vascula reserarentur. Vel oritur etiam Diarrhœa, monente Clariss. Peyero in tract. de Gland. intestinorum, quando sanguinea massa calore aliquo p.n. colliquata, serum, quod continet, viscidum & per subcutaneas glandulas difflari ineptum, in plexus intestinorum glandulosos deponit, perque eos confertim in cavitatem intestinorum exonerat: Vel denique, quando αἰμάτωσις ob morbi diuturnitatem, succorumque fermentaceorum defectum torpescens sponte quasi in sua resolvitur principia; unde serum postea, quod copiosius in sanguine continetur, sine ullo obstaculo suâ velut sponte in intestina destillat, fluxumque alvi exitialem plerunque procreat.

§. 16. *Tormina* ventris à cruditate acido-acri deducit jam sæpe laudatus Ettmüllerus: *Infantum*, inquit, *Tormina* oriuntur ab acido è ventriculo delabente, quod intestinorum membranas pungit, rodit & lacinat, unde isti cruciatus cum spasmis convulsivis juncti prodromi non raro Epilepsia, iijq; eò crudeliores, quò viscidiore glutine se agglutinaverit eorum parietibus.

§.17. Ferè prætermisimus heic *Singultum* atque sitim nimiam, quibus non raro infantes multùm affliguntur. *Singultum* quidem arbitramur à mordaci quodam humore, mucóve acidiore orificio ventriculi superiori firmius adhærescente produci, quatenus scilicet inibi non tunicam saltem nervosam, sed & circumjacentes diaphragmatis musculos ejusque nerveum centrum per consensum ad convulsivas contractiones, rodendo lacinandoque irritat. *Sitim* verò excitant vel calor p. n. in corpore linguæ fauciumque ariditatem producens, vel biliosi halitus iidemque acres ac falsi ex intestinis ad ventriculum faucesque elevati atque ariditatis sensum ibidem moventes : Augent sitim vigiliæ protractæ, alvus adstrictior, sudor nimius, &c.

§.18. Sed & appetitus atque fames ut plurimum augeatur in Παιδιατροφίᾳ, & quidem non aliunde, nisi quia succus acidior in corpore hoc modo afflictorum abundat, qui post ad ventriculi glandulas justo majore copiâ depositus famis sensum, orificium superius rodendo & stimulando intendit.

§. 19. In toto corpore atque artibus ut plurimum occurunt Sudor copiosus, Color totius corporis pallidus, plumbeus, & Articulorum nodi atque excrescentiæ. Sudori copioso in principio affectus materiam quidem præbent pinguedo caroque corporis liquata, ut & serum ipsum, quod adhuc in sanguine supereft tenuius: Ubi autem illa consumpta jam sunt, solum ferè sanguinis serum cum spiritibus animalibus in sudorem facessit: causa efficiens verò illius est effervescentia sanguinis naturalis imminuta, ob quam, qui offertur è primis viis succus nutritius, licet propter obstructions paucus, assimilari nequit, hinc massa sanguinea laxæ admodum redditur compagis, adeò ut à leviori quoque accensione postea mixtio ejus solvatur, & in sudorem erumpat. Plerunque verò *περὶ* sanguinis justo acidior, à quâ scil. ceu in lacte acescente serositates omnes funduntur, potissima su-  
dationis p.n. causa esse solet. Augent sudores hosce tum calor aliquis præternaturalis superveniens, tum glandularum subcutanearum obstructiones, ita ut sero resorbendo ineptæ evadant; tum denique pororum corporis laxitas; ob quam se-  
rum

rum liquatum facile exhalare potest. Si contingat, ab aëre frigido, vel aliâ quacunque causâ poros constringi, serum, quod per glandulas subcutaneas obstructas in vascula lymphatica transcolari nequit, subter cutem subsistit, sensimque collectum Anasarcam producit; hinc est cur crura sæpius redduntur tumidiuscula, œdematosa, quæ tamen poris iterum laxatis, seroque exhalante, brevi temporis spatio iterum disparent.

§. 20. *Color corporis pallidus, lividus, plumbeus redditur*, quia spirituosa, ac sulfureæ sanguinis particulæ, à quorum cum reliquis justâ contemperatione floridus color oritur, maximam partem deperduntur; quia muscularum florida & rubicunda compages solvit, colliquecit, consumitur; quia denique activæ sanguinis particulæ serosis aut glutinosis plurimis obvolvuntur.

§. 21. Articulorum *Nodi* & excrescentiæ, quæ observantur, Plateri testimonio sæpiissimè præter naturam non sunt, cum n. vicina caro pinguedoque omnis consumitur, articuli necessariò prominent, quæ protuberantiæ specie excrescentiarum aut nodorum pluribus imponunt. Qui verò omnino præter naturam sunt Nodi, vel oriuntur à copiosiore sale fixo seu materiâ terrestriore ossiumquenutritivâ inibi deposito, vel exinde, quodd, cùm ossa (quæ non obstante παγητοφίᾳ crescunt & augentur) ob muscularum extenuationem, tendinumque exiccationem & corrugationem elongari non possint, necesse est eadem in articulis excrescere, hincque protuberare; si verò non excrescant, sed elongentur, eorum incurvatio (in Angliâ frequentissima, apud nos vel nunquam vel raro visa) eandem ab causam contingit; non secus ac linea quævis, si intra eosdem terminos elongetur, è rectâ in obliquam mutetur, necesse est. Hanc incurvationem Glissonius tract. de Rachitiide ex ἀλογοτροφίᾳ partium ossis ingenioso commento derivat, sed judiciosis argumentis à Joh. Mayovv dissert. de eodem affectu refutatur.

§. 22. Tandem, ne & hoc prætermittamus, introducitur sæpe in tabidorum ejusmodi puerorum corpora *Hectica Febris Atrophiam* mirum quantum augens, habitumque longè

celerius & citius colliquans ; Hanc credimus ortum quam  
maxime ducere ex malâ sanguinis ~~Aggritio~~ si nimis in sal-  
fiorem justo & acriorem degeneret ~~Aggritio~~. Si minus viscidus, ver-  
ba sunt Ettmüller in Valetudinario infantili, crudus tamen, & praterna-  
turali acore, vel saltem acri-salto sapore inquinatus distribuatur succus  
pro auctione & nutritione, necessario depravatur massa sanguineæ crasis,  
vitiatur insigniter sanguificatio ; oritur p. n. effervescentia, unde febres va-  
rie in specie lentæ sub vesperam præcipue exacerbantes.

§.23. Superessent & alia nonnulla accidentia exami-  
nanda, sed quia brevitati, ob temporis penuriam, nobis stu-  
dendum, sufficiet præcipuorum saltem rationes & causas  
pro posse & nosse adduxisse.

### THESIS VII.

§.1. Signa sequuntur *Diagnostica* quæ sunt vel ipsius  
morbi affectarumque partium, vel causarum, vel sym-  
ptomatum & Morborum supervenientium. Affectus ipsius  
partiumque affectarum signa manifestiora sunt, quam ut lon-  
gâ indigeant enumeratione, quin imò ex symptomatum prio-  
re Thesi enarratorum congerie depromi possunt.

§.2. Causæ verò Antecedentes, ut cognoscantur & pro-  
bè discernantur, signis omnino opus habent : Sanguinis,  
Lymphæque lentorem atque visciditatem produnt tum ex-  
ternæ causæ, quæ sanguinem viscidum efficere potuerunt,  
tum symptomata & consequentia, quæ sunt in actionibus,  
& quidem *animalibus*, somnus largior, propensio in somnum  
nimia ; motus & exercitii corporis tarditas ; in *vitalibus* re-  
spiratio crebra, saepe anhelosa, pulsus tardus, parvus : in *na-  
turalibus* coctiones quâ publicæ, quâ privatæ minutæ ; In  
*Excretis* & *Retentis* saliva mucusque narum parcior ; alvi cre-  
bra adstrictio ; urina parcior.

§.3. Lymphaticorum, & Lacteorum vasorum, glandu-  
larumque quâ mesenterii, quâ intestinorum obstructiones de-  
monstrant grumosæ & chylosæ dejectiones ; abdominis ten-  
sio, & durities, inque illo variæ saepius hinc inde protube-  
rantiæ tactu magis quam visu perceptibiles, vixtus succi len-  
ti & crassioris &c.

§.4. Lumbricos indigit appetitus nunc prostratus, nunc  
adau-

adauetus, qui cibi exhibitione paululum remittit; pruritus  
narium, cuius causâ saepius scalpere coguntur; rosiones &  
morsus intestinalium; color faciei pallidus: in ventriculum  
si adscendant, nauseam, singultum, *ἀνογεξίαν*, siccum tussi-  
culam, dentium stridorem, inquietudinem, insomnia ter-  
rifica producunt.

§.5. Coctionem ventriculi depravatam vel imminutam  
indicant frequentes vomitus, singultus, lienteria, *ἀνορεξία*,  
causæ itidem externæ.

§.6. Inter causas procatarcticas signis tantum opus ha-  
bet Lac Matris vel Nutricis vitiosum, reliquæ enim ex do-  
mesticorum relatione facile innotescunt. Lactis vitia tum ex  
habitu diætaque lactantium, tum & ex ipsa lactis probatione  
cognoscunrur. Ex habitu & constitutione quidem; sic scabio-  
sam falsum admodum & acre; scorbuticam sero scorbutico in-  
fectum; Leprosam tartareis & corrodentibus particulis im-  
prægnatum; Cachecticam & pituitosam vel serofius & tenuius  
vel crassius, &c. generare lac probabile est. Ex ipsa lactis quoad  
colorem, saporem, odorem atque consistentiam probatione  
vitia quoque dignosci possunt: *Lac enim*, inquit *Mercurialis*  
*tract. de Morbis Puerorum pag. m.69.* *Si non sit summae albedinis, si ma-*  
*lis saporis, non dulce, mali odoris, procul dubio est vitiosum.* Idem lo-  
co eodem: *Lac nutricis extractum in vase reponatur, atq; modica*  
*coaguli copia adjiciatur, tum digitis & lac & coagulum agitetur, dein*  
*reponatur & quiescat, donec concrescat: ubi concretum sit, & seri eo-*  
*pia superet caseum, signum est lac & tenuius & fluidius esse; si autem*  
*superet caseus serum, signum est, crassius existere.*

§.7. Supervenientia symptomata pleraque per se pa-  
tent, quædam verò peculiaribus indigent signis. Convul-  
siones atque Epilepsiam præsentes nemo non agnoscit; pro-  
dromi verò illorum sunt oculorum crebra inversio, pavores  
in somno, inquietudines, clamores & ejulatus interdum  
inopinati brevesque &c. Tussis *sympathica* inde cognoscitur,  
si respiratio facilis maneat, si à vomitu oborto remittat, si cru-  
ditatum signa præcesserint; *idiopathicam* verò produnt, res-  
piratio difficultis atque molesta, si saginatio nulla præcesserit,  
ventriculusque crudis humoribus vacuus existat, si à vomitu  
ingruente magis augeatur, quam minuatur. Tormina Laeten-

tiū ex præsentibus, partim & antecedentibus dignoscenda; aderit *avogēxiā*, motus convulsivi interdum apparebunt; ejulatus continuabuntur sine manifestâ causâ, excrementa alvina porracea, æruginosa videbuntur. *Lienteriam* atque *Cœliacam* fœces alvinæ significant. *Hæc febris* cognoscetur, quando statim à pastu corpus incalescit, quando sudores nocturno tempore copiosi emanant, quando sitis fame urgentior.

### THESES VIII.

§. 1. Signa Prognostica sequentibus absolvuntur. Affe-  
ctus ipse lethalis per se non est, imò in principio adeò mitis  
existit, ut leviremedio tolli possit; quod si verò confirmatus  
fit, partesque pingues & carnosæ consumptæ appareant, non  
curatu saltem difficultis, sed & periculosus meritò censendus.  
**Convulsiones, Epilepsiae, evacuationes** qualescumque sym-  
ptomaticæ mortis discriminem inducunt: Malum est, si *Hy-  
drocephalus, Tusses pertinaciores, respirandi continua dif-  
ficultas* (: quæ gravem pulmonis affectum plerunque, phthisi-  
sin ut plurimum comitantur,) superveniant; si denique pe-  
jora omnia indies redduntur symptomata, ad mortem para-  
ri viam indicio est. *Tabes omnis*, inquit *Cardanus lib. 2. de venen.*  
*cap 5. mala atq; periculosa, sed insanabilis prorsus, si viribus collapsis  
febris vel levis societur, aut etiam, si febris per se valida fuerit.*

§. 2. Curationem & salutem sperare licet, si utilia in  
usum vocata remedia virtutibus suis non frustrentur, si cri-  
tica aliqua supervenerit diarrhœa, si symptomata præsentia  
mitescant, pejora non sequantur; si coctio ventriculi per-  
fecta & bona revertat, vires collapsæ redeant, salivæ motus  
restituantur, si denique diu nondum duraverit affectus.

### THESES IX.

§. 1. Tandem ad ipsam affectus curationem devolvimur, in quâ ad scopos sequentes præcipue nobis attendendum, sc. ut partibus alimentum restituatur, obstructiones referentur, vires collapsæ restaurentur, & denique urgentiora sympto-  
mata mitigentur: quibus apprimè satisfacent, tum *Diæta exacta*, tum Medicamenta ex *Pharmaciâ* petita salubriora.

§. 2. Cùm autem in puerorum adfectibus nihil neque  
studium, neque diligentia prodesse possit, nisi vitæ victusque  
institu-

institutio & ratio melior observetur, meritò ipsum Diæticum fontem, à quo prima mali origo, præmittimus. Distinguimus autem eum in *Præservatorium*, qui, quomodo affectus præcaveri possit, docet; & *Curatorium*, qui præsentī affectui mederi docet.

§.3. In Diatâ περὶ φυλακτικῆς, *præservatoriâ* victus ratio ante omnia examinanda, eaque, ubi vitiosa, emendanda, ubi bona, confirmanda & servanda est. Cibus sc. & potus præbendus, à quo nullo modo lædantur: Pulmenta lactentium vulgaria, si vel minimum incommodi pariant, ventriculosque gravent, minori copiâ ingerenda, & cinnamomi, seminis anisi, aut aliis convenientis stomachici tantillum primis cochlearibus simul exhibendum. Lac maternum, ubi vitium aliquod vel à pravo victu, vel ex regimine affectum pejori, vel ex intempestivâ venere contraxerit, subducendum, & nutrix aliqua constitutionis melioris, conducta, quæ nec cibis pravi succi, nec largioribus vini generosi haustibus, nec passionibus animi, nec veneri indulgeat; certum enim est, multiplicique experientiâ satis superque probatum, vitia omnia per suctionem communicari facile posse. Aliâs tamen, ubi, quod in Lacte materno existit vitium, magni non est momenti, non statim nutrix mutanda, sed danda potius opera, illa ut corrigatur labes. In quantitate cibi hujus & potûs infantum moderamen quoque est instituendum; pulmenta farinacea, nisi mutari in totum possint, minori tamen copiâ saepius, quam majori semel ingerantur: Statim à somno cibus ejusmodi ubertim exhibitus nocet multum, prout & lac à pastu largius infusum coctionem magis turbabit quam juvabit. Ablactatis mane antequam è domo egrediantur, geniisque suis relinquuntur, semper cibus aliquis calidus digestionis facilis offeratur; nostrates juscula præbent omnis generis: Æstate fructus crudi copiosi subtrahantur, illique magis, qui facile corruptionem subeunt in ventriculo; hyeme vestibus & indumentis ab externo frigore probè muniantur. Ipso autem tempore, quo ablactatur, non promiscuè statim omnis generis cibi exhibeantur, nec consuetus hactenus victus in totum statim auferatur; cibis verò sensim

sensim solidioribus nutrientur, & ubi adsueti sunt diversis  
jam alimentis, cavendum nihilominus ab immodico eorum,  
quæ difficultioris sunt digestionis, usu.

§. 3. *Passionum animi* tale observetur moderamen, ut nec  
Nutrices illis vehementioribus indulgeant, nec lactentes, &  
ablactati ad illas crebro stimulentur. Nutrix, ubi præter spem  
graviore affectu aliquo exagitata fuerit, lac statim infantem  
non præbeat, quin potius emulgeri patiatur, ne inde vel in  
mammis concrescat, vel lactenti propinatum, in eo mala  
horrenda excitet.

§. 4. Quoad *Excreta & Retenta*; recens natorum inte-  
stina excrementis ferè sunt oppleta, ea itaque, quia malignam  
facile induunt qualitatem retenta, omni studio & arte ex-  
purganda; faciunt hoc nostrates tum suppositoriis ex sapo-  
ne, melle, candelis, tum internè exhibendo syrup. ros. sol.  
simpl. syrup. violac. Oleum amygdalar. dulc. Hydromel quo-  
que; nobis, ut convulsiones simul vel epilepticos insultus  
præcaveamus, per placet sequens mixtura Clariss. Dn. D. He-  
gnero Poliatro Vitodurano meritissimo, Fautori nostro magno usita-  
tissima.

R. Ol. amygd. dulc. Mell. rosacei ad ʒiβ. syrup. violar. ʒj. Pulv.  
marchion. ʒβ. spermatis. cet. Ʒj: Cinnabar. nativ. vel An-  
timon. Ʒβ.

### M.

Cœterū etiam paulò adultiorum, ut & ablactatorum,  
imò puerorum omnium alvus lubrica magis sit semper, quam  
adstricta. Ad Urinas quoque attendendum, operaque dan-  
da, eæ ritè recteque fluant.

§. 5. Corporis exercitia tenellæ ætati non saltem con-  
cedenda, sed & imperanda, iis enim non publicæ tantum,  
verùm etiam privatæ coctiones promoventur, secretiones-  
que omnes melius fiunt. In somno quoque & vigiliis mode-  
ramen instituendum: immodicus & intempestivus somnus  
spiritus sopiendo, vigiliæ nimiæ eosdem dissipando crud-  
itates producunt.

§. 6. Balneorum etiam, quæ Veteres tanti æstimârunt, usus  
minime contemnendus; illis ergo pueri tam lactentes quam  
ablactati

ab lactati sæpius imponantur, cum plurimum auxilii actionibus omnibus in corpore tenellorum adferant, nervos roborent, viresque membrorum & artuum augeant.

#### THESIS X.

§. 1. *Dieta Curatoria παγλαργοφία* jam laborantibus prescribitur; sic autem est instituenda, ut exinde obstructiones non tantum non foveantur aut augeantur, sed & insigniter minuantur, ac quantum possibile, in totum referentur. Latentes verò, cum alio vietu utantur, atque grandioribus & ablactatis præbetur, hinc circa utrorumque diætam aliqua veniunt notanda.

§. 2. In Lactentium diætâ examinandus tum potus, qui lac est matris, & juxta hoc quoque Aqua communis decocta; tum cibus, qui pulmentum est farinaceum. In lacte varia superius notavimus vitia, quoad qualitatem & quantitatem, hæc ergo, ubi observantur, emendanda.

§. 3. Quod si serosius & tenuius existat, quam ut in laudabile nutrimentum converti queat, matris constitutio & dieta statim examinanda, mutanda, eaque exhibenda, ex quibus succus firmior generari potest; proderunt ergo è carnibus eæ, quæ assatæ magis quam quæ elixæ sunt: panem commendant aniso vel fœniculo conditum; conducunt & eadem semina post prandium vel cœnam comesta; vinum bibatur bonum, rubellum optimum; exercitium corporis moderatum utile: Hisce si nil proficiatur, cruditatesque in primis stagnant viis, lene exhibeatur laxativum ex *sennâ*, vel *mannâ*, vel *syrup.ros. sol. simpl.* aut *composito*.

§. 4. Lac si crassius sit & ad θερμωσιν vel πέψιν inclinet, emendabitur cibis succi boni, non crassis, atque medicamentis attenuantibus, *aniso*, *fœniculo*, *Antimonio diaphoretico*, *spermate ceti*, *apiō*, *Cornu C. phil. ppt.* Ubi concretum ferè lac, hisce addentur volatilia, prout est *sal viperarum*, *C.C. &c.* externe verò sub cataplasmatum, linimentorum, oleorum, fomentorum formis commendabuntur *fœniculum*, *petroselinum*, *cuminum*, *apium*, *eryngium*, *ruta*, *malva*, *chamomilla*, *althæa*, *lil. alb.*, *salvia*, *mentha*, *crocus*, *anethum*, *melilotus*, *abrotanum*, *sem. anis. fœnegræc. apii*, *cumini*, *myrrha*; olea *mentha*, *ruta*, *myrrha*, *chamomilla*,

D

*anethi*

*anethi, Emplastr. de spermate ceti: Ab acido vietu omnino abstinendum.*

*§. 5. Contingit lactantibus haud raro, ut vel ira nimia exardescant, vel terrore concutiantur subitaneo, adeo ut inde lac in mammis coaguletur, vel ad *θρόνωσιν* disponatur; hoc in casu lac ab ejusmodi affectu enormi proxime prægresso infanti propinandum non est, cum enormia ex eo possent produci mala, Convulsiones præprimis, motusque Epileptici, sed statim vel à catulo vel quacunque aliâ ratione emulgendum, iisque remediis, quæ præcedenti paragrapho commendata sunt, ad præcavendam coagulationem tam internè quam externè utendum est.*

*§. 6. Quod si alio aliquo modo corruptum & vitiosum existat, pro posse & nosse emendari quoque debet. Hoc si obtineri in totum nequeat, saltem in tantum ut fiat, curabitur, optimâ lactanti diætâ præscriptâ: Quando & sic nihil omnino proficitur, totum lactationis opus Nutrici committendum, non obviæ cuivis, sed quæ lac reddat, quantum possibile, optimum, quæ indolis sit bonæ, morum elegantium: non enim sufficit nutricem habere, quæ bonæ sit constitutionis, inque vietu nullum facile commitat errorem; sed & in animi dona, virtutes atque mores inquirendum; quippe experienciâ satis superque constat, tam vitiorum quorumcunque sementa moralia, quam morborum characteres per lac infantibus imprimi posse; prout id se pluries observasse asseverat *Helmontius titul, de infant. nutrione ad vitam longam.**

*§. 7. In quantitate lactis Excessus, & Defectus notandus. Vitium in excessu est superflua illius exhibitio, quæ si observetur à Medico, prohibenda; in primis vero danda opera, ne intempestive illud, scilicet à somno, aut à pastu statim copiosius propinetur. In defectu peccatur, quando vel nullum planè in matris mammis generatur lac, vel insufficiens: si nullum planè, fit vel organico vitio, vel adventitio errore: quando organico eoque inemendabili vitio, ad Nutricem properandum, quando autem adventitio errore mammis existentibus gracilibus, fomentationem *Rodericus à Castro pag.**

m.507, de morbis mulier. suadet ex decocto fœnogræc. sesami, chamo-  
mille in vino factō: item ablutionem mammarum cum juscule pulli  
ex incoctione seminum fœniculi, porri, erucæ, folior. malvæ; Internè eun-  
dem ad finem conducent cibi ἐντεπτοι & πολύχυλοι, ut & se-  
mina fœniculi, anisi, erucæ, crystalli præparata, lumbrici terrestres  
præparati; quæ vel in pulveris formâ exhiberi, vel cum  
saccharo atque mucilagine tragacanth. in rotulas vel trochiscos  
magistrales redigi possunt: commendant plurimi Agaricum  
mineralem seu Lac luna, de quo Hoffmannus ad Schröderi Pharmacop.  
p.m. 136. Lac, inquit, auget 3j. pondere ex juscule propinatum;  
commodius exhibetur in emulsionibus, mammillæ evidenter inde turgent.  
&c. Quod si verò lac deficiat mammis turgentibus, interius  
quidem hæc ipsa medicamenta usurpari; exterius verò de-  
cocta serpilli, apii, petroselini, anethi, ruta, chamomilla, mentha, se-  
min. lini, fœniculi, cumini &c. mammis applicari possunt. Iisdem  
etiam uti possumus remediis ubi insufficiens generatur lac.

§. 8. Verùm non sufficit emendâsse lactentium potum,  
nisi & cibum quoque correxeris eorum: pulmentum is est  
ex cibo atque farinâ, coctione simplici, paratum; hujus usum  
si non planè dissuademus, saltem eundem sensim minui præ-  
cipimus; sufficiet de die semel tantum ea exhibuisse, &  
quidem anisi, fœniculi vel castorei pulverisati tantillo condita;  
reliquis verò vicibus placeret magis pultum ex pane fer-  
mentato paratorum exhibitio, quas maximopere Ettmüller-  
rus in Valetudinario infantili commendat: experientia, inquit ille,  
me hactenus docuit, optimè conducere tenellis, eosq; ubertim nutrire  
pulmentum tale: loco farinæ sumitur panis triticeus vel similagineus  
non nihil exiccatus vel induratus, minutim tritus; & cum lacte vel aqua  
in pultis coquitur consistentiam mollem, tantillo seminis anisi pulveri-  
sati addito, pauciores hinc flatus elevabuntur, & liquidior mucus post e-  
jus usum restabit, qui facilius longè abstergi poterit, quam qui è communi  
pulte fieri solet.

§. 9. Præter hæc, sitientibus infantibus, aqua fontis  
quoque propinari solet, in quâ affectus ratione omnium opti-  
mè folia floresq; minoris Bellidis cum tantillo seminis anisi, corian-  
tri, radicis falsæ parillæ, aut cinnamomi, decoquetur; nec C.C. rasum  
suo hîc quoque carebit fructu.

§. IO. Ablactatis ejusmodi diæta etiam convenit, quâ obstruktiones solvi possunt. Aer nimis temperatus eligatur, qui neque frigore poros cutis constringat, neque calore nimio habitum magis exolvat. Cibi ejusmodi in usum trahendi, qui facilè coquuntur, succum bonum, & laudabilem præbent: qui verò crassioris sunt succi, & *alūcīnī*, vitandi, quales sunt carnes duriores, ferarum, & avium sylvestrium plerarunque, olera flatulenta, ut pisa, fabæ; lacticinia crebrò & copiosius ingesta; acida quoque omnia & viscosa, ut &c, quæ ex saccharo ac farinâ coquuntur bellaria, fugiantur; Potus ordinarius ad normam illius, quem præcedenti paragrapho commendavimus, parari poterit addendo pro lubitu & re natâ passulas. *Ludovicus Mercatus tract. de pueror. morb. lib. 2. cap. 6.* vinum quoque medicamenti loco in nonnullis atrophiâ affectis commendat, dum ait: *Coeterum in pueris, & maximè in puellis sic affectis* (: obstruktiones mesenterii intelligit:) *dum excarnes non sint, si non biliosæ, si jecur non habent calidū, & siti molestâ non crucientur, sed mollium sint carnem, ventrem fortiantur frigidum, nauæ abundum aut vomitosum, refertum insuper cruditatibus, & obstruktiones constent ex condensatâ pituitâ, saluberrimum censeo fore, modicum vini porrigere, nimis quantum par fuerit calorem ad viscera revocare, crassa excrementa attenuare, conctionem crudorum juvare, quo obstruktiones atque accidentia longè melius curantur, quam quovis alio auxilio, quod fidissimis experimentis atque exemplis probatum habeo; verum si porrexeris, sat est semel in die, non quidem merum, sed aquâ leviter coctâ admistum.*

§. II. Quoad reliquas res nonnaturales, somnum vid. & vigilias; motum & quietem; pathemata animi, excretorumque & retentorum vitia, moderatio instituenda est pro circumstantiarum ratione à Medico prudenti, ea enim omnia in regulas quasdam generales cogere nil attinet.

#### THEISIS IX.

§. I. *Pharmaceuticus* fons plura nobis in medelam tanti affectûs suggerit remedia, quæ omnia tamen, nisi methodicè & secundum indicationes exhibita, vel nihil planè, vel pa- rum admodum juvabunt: morbus itaque ut tollatur, causæ ejusdem radicitus extirpandæ ventur: has diximus esse me- senterii

fenterii obstrukciones, ortas ab humoribus lentis, glutinosis,  
viscidis, acidis; ut & à lumbricis, de quorum curâ inferius;  
humores illos iterum à ventriculo, ob cruditates, malè co-  
quente suppeditari asseruimus. Ante omnia igitur, ut cru-  
ditates, tanquam primæ mali in corpore causæ, eliminentur,  
danda opera. Fiet hoc per purgantia & laxantia *ævω καὶ νά-*  
*τω* exhibita: in Lactentibus hoc morbo affectis usitatus Nu-  
trici vel Matri lactanti purgantia, si cœtera consentiant, pro-  
pinantur, qualia sunt *Manna*, *Rhabarbarum*, *senna*, *syrupus florum*  
*persicorum*, *syrupus de cichor.* cum *Rheo* &c. sic enim & virtus pur-  
gativa per lac infanti quoque communicatur: Lactenti ipsi  
tamen quoque *syrupus violarum*, *rosar.* *sol.* *simpl.* *mel.* *rosaceum*  
exhiberi potest; & si nausea propensioque ad vomendum  
urgeat, emeticum exhiberi poterit, quem in finem commen-  
dant *radicem ireos florentinæ* ad grana aliquot, vel *syrupum ali-*  
*quem Antimoniale* emeticum in s. q. aqu. menth. betonic. flor. til. fænicul.  
dissolutum, repetitis tamen, ut benè monet *Ettmüllerus*, vici-  
bus magis tantillâ dosi, quām simul & semel propinan-  
dum: syrupus ejusmodi suavissimus supra laudato D. D. He-  
gnero usu venit felicissimo cum successu, cuius sequens est  
descriptio; Rx. sacc. cydonior. recent. tibj. infunde vasi vitreo, adde  
Vitri Antimonii pulverisati ȝ ȝ. Stent in loco calido per tres quatuorvē dies,  
sæpius agitando, postea lento igne decoquantur, coctaq; statim filtrantur:  
succo filtrato addantur sacchar. optim. ȝ viij. coquantur iterum ad Sy-  
rupi consistentiam, cuius dosis in adultis à ȝ ȝ. ad ȝ j. cum aquâ  
cinnamomi buglossatâ vel borraginatâ, aut alia convenien-  
ti: Tenellis verò infantibus una, duæ, pluresvē, pro circum-  
stantiarum ratione, guttæ sufficient. Interim non contom-  
nenda, quæ alvo vel infunduntur, ut clysteres, vel intru-  
duntur, ut suppositoria; imò si solis hisce res tota expediri  
possit, non opus erit ad reliqua confugere. Suppositoria usi-  
tatè fiunt vel ex butyro salito, vel ex iis quæ supra dicta sunt:  
clysma ex decocto althææ, malvæ, chamomillæ, seminis anisi, fæ-  
niculi, addito melle rosaceo vel rutaceo cum Sale Tartari aut rute ad  
unam duasvē pro re natâ uncias præscribi possunt.

§.2. In ablactatis eadem prorsus methodus observabi-  
tur, sed purgantia non nihil validiora commendabuntur, pro-

ut sunt Syrupus ros. s. compos. Syrup. de Rhamno catharticus, quem cum syrupo fumariae mixtum magni facit Ettmüllerus: ~~Et~~ sic idem grana duo vel tria radicis jalappae cum triplo C. C. usci vel phil ppt. ut & Mannam Calabrinam puriorem ad 3ij. vel 3*fl.* pulti admixtam blandè & tutò laxare scribit. Hisce tamen & similibus omnibus præferimus Trochiscos Hermeticos Clarissimi Dn. D. Henrici Secretæ Medici Scaphusiani Celeberrimi, Patroni & ultra annum Præceptoris nostri observantissimi, quorum sequens est descriptio: Rx. Mercurii dulc. per repetitas sublimationes optimè purgati 3*fl.* Diagrydii per sulfuris fumum probè correcti 3ij.gr.VIII. C.C.Phil. preparat. 3ji. Cinnamom. acut. 3j. Sacchar. albiss. 3j. Cam mucilagin. gum. tragac. q.s. addit. conserv. rosac. 3j. vel 3ij.F. Trochisci Num. LXIV. quorum unicus anniculo; bimulo atque trimulo duo, &c. pro dosi exhibentur.

§.3. Mundatis sic primis viis, ad aperientia, de obstruentia, resolventia, incidentia, vel quocunque nomine appellare eadem velis, statim accedendum, eaque quâ interna, quâ externa. Internorum classis concinnabitur ex iis, quæ apta sunt nata acidum in tenellorū corpore abundans destruere, viscidos succos incidere, sicque ad pernieandas vias idoneos reddere; atque horum electio aliqua est instituenda, neque enim omnia promiscuè in principio tantopere conveniunt: nobis apprimè eorum placet methodus experientiâ non minus quam ratione confirmata, qui primùm *Volatilia* eaque in primis *Urinoſa*, postmodum *oleosa aromatica*, demum *fixa absorbentia* in usum trahunt.

§.4. Volatiliū classem faciunt spiritus sal. armon. vel simplex, vel redditus aromaticus, prout est anisatus, caryophyllatus; spiritus C. C. aut ejus sal volat. spiritus fuliginis, sanguinis, urina; Ens Veneris ex Vitriolo calcinato & edulcato ac sale armoniaco per repetitas sublimationes paratum; Liquor C. C. succinatus Dn. D. Michaëlis, cuius descriptionem Ettmüllerus tradit dissertatione saepius jam allegatâ: liceat & addere hisce, quæ ex scorbuticis plantis petuntur. Ista verò jam omnia sub circumspectâ & ad guttulas vel grana tantum, pro ætatis aliarumque circumstantiarum ratione, limitatâ dosi aliquoties de die exhiberi possunt cum idoneis vehiculis, aquis sc. & syrups: commendantur

dantur in hunc finem aquæ menthæ, fœniculi cinnamom, &c. syrapi item bellidis minoris, aperitivus Mindereri, ut & succi plantarum antiscorbuticarum, ex quibus etiam syrups aliquis magistralis ad normam syrpi Sceletyrbici Officinis Scaphusiensibus usitati parari poterit v.g. Rq. Fol. recent. cochlear. nasturt. aquat. trifol. fibrin. Cardamin. chelidon. minor. heder. terrestr. flor. bell. minor. Turion. lupul. ana partes æquales; contundantur in mortario marmoreo, exprimatur inde succus confestim, cuius spirituosior pars mox quoque in cucurbitâ abstrahatur ad sufficientiam: reliquus in cucurbitâ succus cum mediâ quantitate sacchari ad Tabularum consistentiam coquatur; (probè tamen, priusquam hæc coctio instituitur, mundandus est succus & per colum trajiiciendus) postquam dein sic coctus ferè refixit, affundatur spirituosa aqua è succo antea elicta, donec consistentia syrpi habeatur, qui dein in vase probè clauso asservandus. Plantæ ad syrupum hunc commendatæ ubi habere nequeant, substitui poterunt sequentes, nempe Cherefolum, fœniculum, fumaria, melissophyllum Fuchs. flor. salv. agrest. flor. aquileg. alliaria, beccabunga, erysimum, nasturtium indicum, aliæque hujus generis.

§.5. In censum oleorum aromaticorum referimus anisum, fœniculum, castoreum, cinnamomum, myrrham, aronis radicem, pulvrem stomachicum D. Birckmanni, ex quibus cum saccharo permixtis tragema fieri potest acidos austerosque in corpore humores mirè temperans. Ettmüllerus hisce addit Theriacam & Mithridatum, quæ ad gr. i. ij. pro ætatis ratione exhibet.

§.6. Fixiorum absorbentium classi ad numeramus tum ex animali, tum è minerali Regno petita; ex Animali regno de promimus Cancri lapides, C. C. ustum, & philos. ppt. Ebur, Lapid. Bezoard. Unicorn. animal. Dentem Hippopotami, Matrem perlarum: è Minerali regno autem conducunt tum sicciora, ut chalybs quocunque modo paratus, in primis ex eo factum cum Antimonio Diaphoreticum Martiale ac Joviale; specificum item Poterii stomachicum; pulvis Quercetani cachecticus; cinnabaris nativa vel Antimonii, Antimonium diaphoreticum, Corallia, Succinum album, &c. tum liquida, prout sunt Tincturæ ex hisce paratæ, qualis est v.g. Tinctur. Martis apperitiva vel communis vel Vitriolata Dan: Ludovici, quam

*Ann. 3. Ephemerid. curiosor. Germ. obs. 250. describit, magnique pendit; item tintetur. scoriarum reguli antimonii. Quæ omnia iterum debitâ dosi vel in pulveribus vel in syrupis, vel in conservis, vel in liquoribus, vel aliâ quacunque formâ aliquoties singulis diebus exhiberi & offerri poterunt.*

§.7. Omnibus hisce intentionibus vel unicum & solum *Specificum Antatrophum*, celeberrimis *Scaphusianæ Civitatis Medicis usitatissimum*, satis faciet, modò tantillo *cinnamomi, nucis moschatæ, anisi, fæniculi, &c.* imprægnetur: illius compositio talis est: Rx. *Sacchar. cand. alb. 3ij. Salis volatilis vegetabilis fuliginos. 3ß. Radic. ireos florent. 3ij. Radic. aron. præp. Diaphoret. Fovial. Diaphoret. Martial. ocul. Cancri. præp. ana 3j.* M. F. *Pulvis subtilissimus*; cui si adjicias de *semine anisi, nuce moschatâ vel cinnamomo ana 3ß.* habebis pulverem apprimè utilem, succos viscidos incidentem, resolventem, acidos & austeros temperantem atque absorbentem: exhiberi potest à gr. v. ad 3 j cum *syru po bellid. vel sceletyrbico supra descripto vel alio convenienti, & quidem mane & vesperi quotidie.*

§.8. Subinde tamen, ubi cruditates persentiuntur novæ, iterum purgandum. Dum verò ejusmodi remedia in usum trahuntur, haud prætermittenda exhibitio crebra syrporum aperientium: v.g. poterit parari sequens Rx *syrup. aperi tivi Mindereri, Syrup. ros. sol. simpl. Syrup. sceletyrbici superius descripti ana part. & equales.* Vel loco hujus syrpus & conserva è bellide subinde offerantur, quæ enim ex hâc parantur plantâ, omnium optimè obstructionibus ejusmodi mederi comperta sunt.

§.9. Externa remedia varia omnino à variis sunt decantata. Profundante omnia Balnea aquæ communis ex in coctione foliorum florumq; bellidis minoris, herbarum betæ, spinachii, inthybi, malvæ, altheæ, chamomillæ, pulegii, origani, primula veris &c. sèpius in usum vocata.

§.10. Quotidie bis vel ter, post balnea quoque, ubi usurpantur, pectus atque venter inungitur non sine successu, linimento vel unguento è *Gummi ammoniac.* quale Ettmüllerus sequentem in modum parat: Rx. *Gummi ammoniac. aceto. dil. solut. 3ij Terebinth. aloës ana 3j sevi cervini & butyri non saliti ana q. s. pro consistentiâ linimenti aut unguenti, quod in super*

super pauxill. ol. destillat. anis. vel fœniculi irrorari poterit. Clariss. Sylvius lib. I. prax. cap. 14. commendat unguentum martiatum, & althææ compos. additis oleis philos. chamœlino, lilior. albor. laurino &c. Placet aliis adeps capi. axungia anserina, cervina, gallinacea: alii jactant alia. Nobis vel solum è bellide linimentum sufficeret, idque vel simplex, vel anserinâ insuper axungiâ, quam tanti vulgus facit, permistum.

§. II. Nec fomenta suâ quoque carent utilitate: pari autem ea poterunt ex illisdem, quæ ad balnea sumuntur Plantis, in lacte tamen vel in vino magis coctis; & pectori atque abdomini applicatis. Bellidis atque chamomillæ decoctum reliquis ferè præstat in hunc usum.

§. 12. Omnia jam hæc si decenti methodo præscripta atque commendata sint, non video, quid amplius fieri debat, vel possit, quod ad tenellorum salutem magis conduceat: neque etiam nobis videtur ulterius opus esse vel frictionibus frequentibus, vel scarificationibus, sinapismis, vel denique Hirudinibus aut fonticulis.

§. 13. Sed est adhuc frequens Atrophiæ causa Lumbricorum in intestinis congeries: Illi ergo è corpore studiose expellendi medicamentis tam internis, quam externis: Internè proficia sunt Trochisci Hermetici Scretiani, Mercurius dulcis cum saccharo simpliciter mixtus, semen santonicæ ejusq; confectio ad 3j. Coral-lina, C. C. phil. præparat. Diagryd. sal absynth. Gentianæ radix, Myrrha: & alia quamplurima, quorum Catalogum vide apud Auctores. Confectionem alkermes & Theriacam venetam cum aquâ cinnamomi dilutam in agonizante puello cum successu exhibuit Clariss. Dn. D. Binningerus Medicus Montpelgartensis. Castoreum pulverisatum à 3B. ad 3j. aliquot dosibus exhibitum Zacutus Lusitanus saluberrimum expertus est. Vehiculum autem ejusmodi remediorum suggerunt Syrupus atque conserva flor. persicor. Syrup. violac. Rosar. solut. simpl. &c. Externè umbilici regioni sequens linimentum aliquoties de die illiniri poterit: Rz. Ungt. de arthanitâ 3j. Ol. colocynth. Ol. absynth. per triplicem infus. parat. ana 3ij. Aloës hepatic. Myrrha elect. ana 3ij. Fell. taurin. 3B. M. & cum chamomille oleo, si opus, in consistentiam linimenti redige. Laudant heic nonnulli cataplasmata ex farinâ lupinor. ex foliis rutæ,

*absynth. cum oleo colocynthidos, laurino, amygd. amarar. &c. paratis.*

THEISIS XII.

§. 1. Restant symptomata urgentiora mitiganda, inter quæ primò occurunt *Convulsio* & *Epilepsia*, quæ dum timentur, præcavendæ pulv. *Marchionis*, *cinnabariq*, *natiyâ* vel *antimoniali* pulveribus absorbentibus superius enarratis admistis: dum verò præsentes sunt, clysma statim ex juscule succoq, rutæ recentibus cum salis tantillo infundatur: & si suspicio sit de cruditatibus in ventriculo stagnantibus, vomitus statim provocabitur pennâ oleo amygd. dulc. intinctâ palatoq, intrusâ. Convulsa membra manibus oleo amygdal. dulc. vel aquâ vite, vel aquâ aliquâ epilepticâ illinitis fricentur: Naribus admoveatur succus rutæ cum aceo forti & assâ fætidâ: Sæpius quoque cochlear unum de sequenti vel simili mixtura propinetur: R. Aqu. flor. til. hirundin. Epilept. lang. ana 3j. Spirit. cochlear. 3ij. Spirit. lil. convall. 3j. Essent. castor. Spirit. sal. armoniaci ana 3j. Matr. perl. preparat. 3j *Cinnabar. nativ. 3B. Syrupi pœon. 3vj. M. Vertici ac temporibus ut & naribus inungatur mixtura ex balsamo apoplect. Oleis destill. rut. succ. castorei, caryophyll. cum oleo nucis moschatae expresso. Hæferus in Hercule Medico sacculum cordiale quaque commendat ex radicis pœoniae 3j. foliis rutæ rec. exiccat. M. f. Balsamarutæ, macis, rosar. cum succini nucistæq, oleo excepta naribus à nonnullis inunguntur. Cessantibus ita convolutionibus per aliquot dies pulveres antispasmodici, præmisso tamen laxativo aliquo ex manna solutâ in juscule, aliisve usurpentur ex diaphoret. Fovial. magist. cran. human. ungul. alc. preparat. succino alb. preparat. C.C. ust. Castor. preparat. Ebore preparat. Pulv. radic. pœon. & valerian. Corall. rubr. preparat. similibusque aliis. Viscum quernum, cinnabaris nativa, & pulvis *Marchionis* juncta & saccharo perlato edulcata egregium dant remedium cum syrupo pœoniae vel aquis antiepilepticis propinatum.*

§. 2. Tussis & respirandi difficultas, si ob sympathiam affecto ventriculo affligant, vomitu provocato ferè tolluntur: si verò idiopathic existant affectus, & à tenui catarrho orientur, incrassantia, syrups papav. de liquiritiâ, è siliquis, ut & resolventia, sperma ceti, liquor CC. succinatus, Spiritus Salis armoniaci nisatus, &c. proderunt, primis tamen semper viis mundatis:

si à pituitâ crassâ producantur, *diaphoreticum Joviale*, *iridis flor-  
rentinæ ac aronis radici associatum*, *saccharoq; ulterius edulcatum &  
cum syrup. bellidis datum nobis sufficeret*, *exterius tamen  
non omisso linimento è bellide.*

§.3. *Deliuiis animi viriumque prostrationibus subitaneis  
occurretur aquâ aliquâ cordiali ex aqu. borragin. flor. acac. meliss.  
rosar. cum syrupo flor. tunicae, matr. perlar. præparat. corall. præparat. ebor.  
præparat. addito etiam tantillo spiritus salis armoniaci, vel C.C.  
Clarif. Binningerus ex intrusione solâ globuli moschati in anum  
puellam ex deliquio animam jam agentem feliciter restituit.  
Exterius conducent sacculi cordiales, epithemata quoque, v.  
g. &c. Pulver. Marchion. epilept. Æij. C.C philosoph. præparat. pulv. rosar.  
rubr. radic. Zedoar. doronic. ana Æj. Aqu. pæon. meliss. ana ȝ Bj. flor. tiliæ,  
cerasor. nigr. lavendul. ana ȝvj. M. pro Epithemate.*

§.4. *Singultum molestiorem post excitatum vomitum  
tollit mixtura ex corallis præparat. C.C. ust. , Unicorn. fossil. Castor.  
semin. anis. cum syrupo menthae. Exterius theriaca cum fermento &  
aceto scrobiculo cordis imponitur in robustioribus jam; in tene-  
rioribus verò sufficiet nucis moschatae & chamomillæ ut & menthae  
oleum cum reliquis stomachicis oleis, etiam destillatis illinitum.*

§.5. *Vomitus, nisi molestior sit, non statim fistendus, eva-  
cuat enim crudos è ventriculo humores: si verò molestus  
fuerit & diuturnus, fistetur, vel syrups laxativis, vel aquâ cin-  
namomi cum theriace & nacis moschatae tantillo: corallia quoq; ru-  
bra cum caryophyllis & mastiche in conserva rosarum exhibita condu-  
cunt; cydoniorum miva etiam utilis. Exterius oleum stomachale  
Cratonis, olea menth. mastich. nucistæ, ventriculi regioni illinita  
conducunt, quibus & balsamum de Peru adsociari potest.*

§.6. *Lienteria exhibitis alkalibus, quæ acidum coagulum  
ventriculi glandulas obstruentem resolvere & absorbere pos-  
sunt, curabitur: resolvent illud præprimis volatilia superiori-  
bus thesibus commendata: absorbebunt autem fixiora ex Mar-  
te & Antimonio, ut & alia ex animalibus petita: Antimonium  
diaphoreticum, Bezoardicum Martis: specificum stomachicum Poterii;  
Corallia, Ebur, C.C. ustum aut philos. præparat. quibus & pulvis sto-  
machicus Birckmanni adsociabitur. Exterius proderit sequens o-  
leorum stomachicorum mixtura: &c. Ol. myrtillor. ȝ j. ol. nucist.*

*ex preß. mastich. ana 3j. ol. destillat. mac. fœnicul. ana gutt. vj. chamomill.  
amarac. ana gutt. iiij. M. inungatur regioni ventriculi.*

§.7. In Hypochondriorum inflatione internè anisum, spiritus salisarmoniaci anisatus aut eleosaccharum aliquod: Externè verò olea carminativa *chamomillæ*, *laurin.* *cumini*, *carvi*, *ani*, &c. conveniunt: Clysteres carminativi quoq; cum fructu iniiciuntur.

§.8. Diarrhœa si oboriatur, non statim sistenda, cum critica sæpe sit viresque parùm atterat: ubi autem symptomatica redditur, auxilium ferendum adstringentibus ex *Unicornu fossili*, *Bœo arrena*, *Corallius*, *Ebore*, *Croco Martis* adstringente & similibus, ut & essent. fol. *quercus*, *plantag.* cum *aqu.* *tormentill.* In aqua ordinarii potus *tormentillæ* radix quoque & C. C. ustum coqui possunt.

§.9. *Tormina*, si à bile commotâ & acriori redditâ oriantur, optimè cedent bilem temperantibus, qualia sunt spiritus nitri, lapis. prunell. tartarus vitriolatus decenti cum vehiculo exhibita; si autem ab acido rodente originem trahunt, volatilia oleosa aromatica magis exposcunt, scil. semen anis. cumin. fœnicul. cinnamom. castor. cum corall. atq; oculis cancri &c. Theriaca quoque pisi vel unius vel plurium magnitudine vesperi exhibenda. Externè olea *chamomill.* *rut.* *cumin.* *fœnicul.* *cortic.* *aurant.* nucif. oleum item stomachale *Cratonis* illinita dolorem leniunt.

§.14. *Hectica* si superveniat, arcanum duplicatum, ut & ea quæ ex tartaro parantur reliquis cum fructu ad sociabuntur.

§.15. Atque hæc sunt, quæ de Puerorum Atrophiâ pro temporis ratione conscribere licuit; si quid in paucis his fortè erratum, aut minus plenè planè ac distinctè traditum, pro eâ æquitate, quâ tenuitatis nostræ nobis sumus concii, æquum lectorem vicissim oratum & exoratum cupimus, ut, quicquid illud est, humanæ infirmitatipartim, partim temporis, quo premebamur, in opere benignè indulgeat, nobisque favere perget, mutua humanitatis officia experturus. Gratias interim immortales pro infinitis beneficiis agimus,  
cui debetur

Mórvw τῷ Θεῷ ὅρξα.